

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. XVIII. De venis pelvis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

trochanteris radice anteriore a musculus vasto interno, tricipiti ac pectineo, & posteriore a gluteis, vasto externo & bicipite accedente aucta, ex musculus femoralibus emergit, atque receptis saphena magna, & musculus pectinei, pudendæ externæ, glandularumque radiculis, sub Fallopii tendine, sumto iliacæ externæ titulo, pelvim intrat. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXIII. n. II. lit. L.

CAP. XVIII.

De venis pelvis.

§. I.

Radiculæ venosæ ab ano partibusque ^{Hypoga-}vicinis venientes venas ^{strica ra-}hæmorrhoidales ^{dices ulti-}externas, cum internis anastomosi nexas, ^{ma.}constituunt. Ex partium genitalium, muscutorum gluteorum ac pectineorum radiculis *pudendæ internæ* colliguntur. Ex inferiore ossis sacri parte vena insignis etiam ascendit, quæ omnes venæ hypogastricæ radices ultimæ sunt. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. II. lit. A. B.

§. II.

Ab ureteribus, vesica & partibus genitalibus internis venientes radiculæ radicem ^{Eius radi-}communem, in feminis maiorem, cum ^{cas latera-}venis spermaticis anastomosi admittentem, ^{les & po-}constituunt. Aliæ radiculæ, a coniunctione ^{steriores.}ossium ilium atque ischiorum, musculus

iliacis ac obturatoribus internis derivatæ, in aliam radicem colliguntur, quæ, ad incisuram ischiaticam abiens, venam obturantem constituit, quæ, receptis musculorum pectinei, tricipitis, aliarumque partium vicinarum radiculis, musculos obturatores perforat, atque, ovale ossis coxarum foramen penetrans, lateri arcus ab hypogastrica formati exteriori inseritur. Ex musculorum gluteorum, pyriformium atque gemellorum venulis alia radix magna conficitur, quæ, pone incisuram ischiaticam magnam prodiens, paullo supra obturatricem, hypogastricæ immittitur, quæ etiam *pudendam dorsalem* radicibus suis perforatis ex corporibus cavernosis venientem, & supra corpora cavernosa maiora decurrentem, atque sub ossis pubis symphyfin ingredientem, recipit. Præter illas ex ossis sacri foraminibus atque musculo provenientes venulæ duas radices efficiunt, quæ etiam posteriori vel convexæ arcus hypogastricæ parti sese insinuant. Venæ pudendæ externæ ex eius integumentis venientes ad femoralem pergunt.

Obs. Venæ intus per penem distributæ poris magnis & visibilibus foraminibus, cribri instar, pertusæ sunt. Vid. *Frid. Ruyschii* observat. anatomico-chirurgicæ, obs. C. p. XCVII.

§. III.

Venæ hypogastricæ, iliacæ secundariæ, posteriores seu internæ, super ligamenta, inter partem ossis sacri inferiorem ac lateralem

Hypogastrica.

& ossis ischii spinam obvia, pelvim ingrediuntur, atque in utroque fundi eius latere arcum formant, dictisque radicibus venosis auctæ, cum iliaticis anterioribus, vel externis, iliaticas communes seu primitivas ad ossis sacri latera efformant. *B. Eustachii* tab. XXV. n. 11. lit. Ω.

§. III.

Radiculæ venosæ in musculis abdominis *Iliacæ externe radices.* rectis obviæ, atque cum mammariis anastomosos admittentes, & sub decursu suo ex utroque latere radiculis auctæ, venas *epigastricas* constituunt, quæ iliaticis externis, pelvim intrantibus, implantantur. Aliæ insuper radiculæ venosæ, ex glandulis musculisque vicinis surgentes, easdem quoque adeunt. *Iliacæ externæ* musculis psoas incumbentes, atque internum arteriarum iliaticarum latus claudentes, concursu suo cum hypogastricis, e regione ultimæ lumborum vertebræ, iliaticas primitivas constituunt. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. 11. n. XXXVII.

§. V.

Ex iliaticarum externarum atque hypogastricarum, ad ossis sacri latera, facta combinatione *Iliacæ communes.* *iliacæ communes*, vel primitivæ, originem ducunt, quæ, radiculis nonnullis ab ultima lumborum vena, musculis psoas, iliaticis ac lumborum quadratis auctæ, atque ad internum arteriarum iliaticarum latus ascendentes, & dextram versus sub harum coniunctione declinantes, ad quintam lum-

borum vertebram in venæ cavæ truncum inferiorem coeunt. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. lit. Σ . de *Hallericon*. anat. fasc. III. tab. VI.

§. VI.

SACRA.

Ex membrana os sacrum investiente permultæ radiculae venosæ ad venam sacram producendam concurrunt. Hæc arteriam eiusdem nominis comitans, atque in interna ossis sacri superficie ascendens, ipsi plerumque iliacarum primitivarum concursui, interdum vero venæ iliacæ primitivæ sinistrae inseritur.

CAP. XX.

De vena cava inferiore eiusque radicibus.

§. I.

Vena cava inferior.

Vena cava inferior a primitivarum iliicarum bifurcatione, ad quintam lumborum vertebram accidente, oriens, atque ad dextrum aortæ latus ascendens, receptis in itinere pluribus venis, tendinosam diaphragmatis partem penetrat, atque dextræ cordis auriculæ inseritur, ibique valvula *Eustachii* munitur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. II. lit. Φ . & *Memoires de l'Academie Royale des Science* année 1717. p. 272.